

**De gastritide chronica : dissertatio inauguralis medica ... / publice defendet auctor Franciscus Carolus Otto Ellendorf ; opponentibus F. Straeter, A. Nuebel, C. a Pelser-Berensberg.**

**Contributors**

Ellendorf, Franz Carl Otto, 1817-  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typis Reimerianis, [1844]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ywgc5654>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b22373688>

(21.)  
**DE**  
**GASTRITIDE CHRONICA.**

---

**DISSERTATIO**  
INAUGURALIS MEDICA  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI  
MEDICORUM ORDINIS  
IN  
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE  
FRIDERICA GUILIELMA  
UT SUMMI  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES  
RITE SIBI CONCEDANTUR  
DIE XXX. M. JANUARIJ A. MDCCCXLIV.  
H. L. Q. S.  
PUBLICE DEFENDET  
AUCTOR  
**FRANCISCUS CAROLUS OTTO ELLENDORF**  
GUESTPHALUS.

---

**OPPONENTIBUS:**

**F. STRAETER, MED. ET CHIRURG. DR.**

**A. NUBEL, MED. ET CHIR. DD.**

**C. A. PELSER-BERENSBERG, MED. ET CHIR. DD.**

---

**BEROLINI,**  
**TYPIS REIMERIANIS.**





DE  
CASSIUS CHRONICA.

DISSENTATIO

IN LEGEM AMPLA

DE

CONSENSU ET AUTORITY GRATIO

RECTORUM ORDINIS

IN

ALMA MATER UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILLIELMA

ET BOEN

IN MEDICINAE ET CHIRURGIAE HONORE

ALIA SIBI CONGRUA TON

DE KAZ. M. JANUARI A. MDCCCLIV.

N. L. G. E.

FRIDERICUS H. H. H. H.

DOCTOR

FRIDERICUS CAROLUS OTTO KLEINER

DE KAZ.

DE KAZ.

DE KAZ.

DE KAZ.

DE KAZ.

DE KAZ.

DE KAZ.

M A N I B U S

FRATRIS OPTIMI, DILECTISSIMI

**JOANNIS OTTONIS ELLENDORF,**

PHILOSOPHIAE ET JURIS UTRIVSQUE DOCTORIS.



MANIBUS

FRATRES OPTIMI, DILECTISSIMI

JOANNIS OTTONIS HILFENDORF, **NEC NON**

PHILOSOPHIAE ET JURIS UTRIUSQUE DOCTORIS.

DE GASTRITIDE CHRONICA

AMICIS

CARISSIMIS OMNIBUS, OPTIME

DE ME MERITIS

HASCE  
STUDIORUM PRIMITAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.



## DE GASTRITIDE CHRONICA.

### DEFINITIO.

**G**astritis, ventriculi inflammatio, ex voce graeca *γαστήρ*, ventriculus, et terminatione *ιτις*, quae quidem statum inflammatorium significat, composita est. Gastritis, quod situm attinet inflammationis, varia esse potest et quidem aut tunica serosa, aut tunica muscularis et tunica sic dicta propria, aut tunica mucosa imprimis ex inflammatione laborat. Qua membrana ventriculi mucosa corripitur, ea plurimum occurrit inflammatio. Quae quidem acutum multo rarius quam chronicum exhibet decursum.

### HISTORIA ET LITTERATURA.

Scriptores antiquiores quamquam affectiones morbosas ventriculi commemorant, tamen non ac-



curate, quod ad diagnosin et pathologiam spectat, de iis disseruerunt. Sic recentiores quoque usque ad initium hujus saeculi multa quidem de acuta gastritide enarrant, gastritis vero, quae propria vocatur chronica, plane apud eos desideratur. Tum demum, quum anatomiam pathologicam subtilius perscrutari inceperunt, factum est, ut morbus noster accuratius uberiusque distingueretur. Ex scriptoribus autem, qui de gastritide chronica varia in lucem ediderunt, praestantiores brevibus commemorare sufficiat.

1) G. van Swieten, commentarii in Boerhave aphorismos de cognoscendis morbis. Vol. III. pag. 144.

2) Fr. Hoffmann, dissert. de ventriculi inflammat. Halae 1706. Id. in opere suo: systema medicinae rational. Basil. 1783. Tom. V. P. I. pag. 371.

3) Rosenstein de inflammat. ventriculi. Upsal. 1741.

4) Johnston, diss. de gastritide. Edinburg. 1790.

5) Pet. Frank de curandis hominum morbis epitome. Venetiis 1794. Vol. II.

6) Henning, Kennzeichen und Heilungsart der Entzündung des Magens und der Gedärme. Kopenhagen und Leipzig 1795.

7) Marcus, specielle Therapie. T. II. pag. 99.

8) Valentin ab Hildenbrand, institutiones practicae medicae. Vindob. 1817. Tom. IV. pag. 292.



9) Curt. Sprengel, institutiones medicae. Mediolani 1817. Vol. VI.

10) Pemberton, Praktische Abhandl. über verschiedene Krankheiten des Unterleibs. A. d. Engl. von G. von dem Busch. Bremen 1817.

11) James Anesly, über Entzündung und organische Verletzung des Magens. Auserlesene Abhandlungen für practische Aerzte. T. 35. pag. 541.

12) Krukenberg, Jahrbücher der ambulatorischen Klinik zu Halle. Halle 1820. T. 2. pag. 251 — 324.

13) Pohl, collectanea quaedam de gastritidis morborumque, qui eam sequuntur, pathologia. Diss. inaugural. Lips. 1822.

14) Broussais, histoires de phlegmasies ou inflammations chroniques etc. Paris 1826.

Idem, Vorlesungen über die gast. Entzündungen. A. d. Franz. von Flek. Rudolstadt 1829.

15) Larroque, remarques et observations sur la gastrite chronique in d. nouvelle bibliotheque med. Février 1828.

16) Berends, Vorlesungen über praktische Arzneiwissenschaft, herausgeg. von Dr. Sundelin. Berlin 1828.

17) Billard, die Schleimhaut des Magens und Darmkanals im gesunden sowohl als krankhaften Zustande. A. d. Franz. von Urban. Leipzig 1828.

18) René Prus, neue Untersuchungen über die Na-



tur und Behandlung des Magenkrebses. A. d. Franz. mit Zusätzen von Balling. Würzburg 1829.

19) Hoffmann, collectanea ad cognitionem morborum ventriculi organicorum. Diss. inaug. Lipsiae 1829.

20) J. Abercrombie, pathologische und prakt. Untersuchungen über die Krankheiten des Magens etc. A. d. Engl. v. d. Busch. Bremen 1830.

21) Lesser, die Entzündung und Verschwärung der Schleimhaut des Verdauungskanal. Berl. 1830. p. 166.

22) Eisenmann, die Krankheitsfamilie Pyra, Schleimhautsexantheme. Erlangen 1834.

23) Pemberton, die Krankheiten der Unterleibsorgane. 4te Aufl. 1836.

24) Stokes, über die Heilung der innern Krankheiten von dem Standpunkte d. neuesten Erfahrungen am Krankenbette. A. d. Engl. von Behrend. Leipzig 1835. pag. 14 — 36.

25) Encyclopädisches Wörterbuch der med. Wissenschaft. Herausgegeben v. d. Professoren der medicin. Facultät zu Berlin. Berlin 1835. T. 13.

26) Berndt, Lehre von d. Entzündungen. Greifswald 1838. T. II. Sect. 2.

27) L. Schoenlein, allgemeine und specielle Pathologie. St. Gallen 1841.

28) K. H. Baumgaertner, Handbuch der speciellen Krankheits- und Heilungslehre etc. Stuttgart 1842.

---



## DE MORBI SYMPTOMATIBUS.

Symptomata morbi incipientis levia atque occulta sunt; quum tunica mucosa, quae praecipue gastritide chronica vexatur, tam exiguum reactionis vim prae se ferat, ut minores ejus affectiones ac perturbationes minus pateant. Postquam vero morbus et extensitate et intensitate auctus est ac mutatio texturae organicae accessit, signa prodeunt et localia et universalia, quae essentialia ac peculiariora dici mereantur.

Quae quidem symptomata nostro morbo peculiariora reperiuntur, haecce sunt.

Gravissimum ac constantissimum signum dolor, modo mitis, modo acerbus, qui nunc longius, nunc brevius perdurat. Quo longius gastritis processit, quo magis ventriculi textura degenerata, eo constantior atque atrocior dolor esse solet. Dolores vero tum augentur, tum tantopere diminuuntur, ut aegroti saepe diutius a doloribus vacare videantur. Plerumque tamen fit, ut dolores semper externa digitorum pressione, ciborum coctione excitentur, nec non cibis crudis, acerbis, salsis potuque irritante, animi perturbationibus, imprimis deprimentibus, nec minus refrigeratione praegressa atque oppressis secretionibus solitis,



praecipue mensium et haemorrhoidum fluxu. Quando vero exacerbatione crescunt, ad dorsum et humeros, praecipue autem ad anteriorem pectoris partem et cardiam progredi solent, ut suffocationis et spasticae oesophagi contractionis sensum efficiant <sup>1)</sup>. In tali insultu saepius fieri solet, ut in regione epigastrica pulsatio quaedam percipiatur. In statu jejuno dolores sunt graviores, cibis vero sumptis sensatio premens solum exoritur, quae tamen peracta digestionem evanescit <sup>2)</sup>.

Si dolorum indolem respicis, maxima eorum varietas tibi obveniet, quae ex individualitate aegroti, e morbi sede et progressionem, ex exacerbatione ac remissione proficisci videtur. Alii dolores describunt obtusos, alii prementes, alii arduos, pungentes, lancinantes. Sunt qui repente molestum frigoris sensum in ventriculi regione quaerantur; aliis calor nimius est <sup>3)</sup>.

Aliud symptoma, quod gastritidem chronicam semper comitatur, in laesa ventriculi functione cernitur. Appetitus ciborum imminutus aut nul-

---

<sup>1)</sup> Berndt l. c. pag. 764.

<sup>2)</sup> J. N. Petzold, Verhärtung und Verengerung des untern Magenmundes.

<sup>3)</sup> Jaenke, diss. de gastritide chronica. Berlin 1830.



lus, sitis adaucta, lingua plerumque albo muco vel subflavo tegmento oblecta, aut rubra. Occurrunt quoque casus, in quibus radix linguae fusca, apex vero ruber ac siccus apparet <sup>1)</sup>). Rarius tantum lingua sicca atque aspera. Gustus depravatus vel acidus vel amarus; nonnunquam nausea accedit et mox pyrosis ventriculi, ructus, vomitus. Qui quidem sub initio morbi rarius tantum, inter vehementes doloris exacerbationes, postea vero, praecipue quum desorganisationes exortae sunt, saepius occurrit. Aegri semel vel saepius per diem sine ulla occasione vomunt, vel blandissimo cibo potuque assumpto. Quod ad brevius aut longius temporis spatium attinet, quo cibi sumpti vomitu redduntur, morbi sedem respiciamus necesse est. Etenim si affectio morbosa circa pylorum aut in hoc ipso sedet, plerumque nonnullis post coenam horis vomitus excitatur; sin vero cardia praesertim affecta est, cibi capti priusquam in ipsum ventriculum pervenerunt, vomitu rejiciuntur <sup>2)</sup>).

Materiae quae ejiciuntur valde inter se differunt. Sunt, qui vomitu edant mucam tenacem,

---

<sup>1)</sup> Lesser, l. c.

<sup>2)</sup> Chardel in C. W. Hufelands Journal T. I. pag. 154.



subfuscum; sunt, qui materiam chocolateam et sanguineo - nigram evomant. Saepius nonnullos cibos ventriculus plane fastidit, nam interdum tantum solidi, interdum tantum liquidi cibi evomuntur <sup>1)</sup>. Sub initio morbi, ut experientia nos edocuit, cibi plerumque aquae acidae vel amarae copia commixti ejiciuntur; aut materies nihil est nisi larga aquosi turbidi colluvies. Morbo autem progressu et longius provectora ventriculi destructione, foetida et interdum putrida evomuntur, quae colorem ostendunt fuscum, vel bruneum vel nigrum <sup>2)</sup>. Saepe prasina cernuntur, pus recens redolent et dulciusculum, insulsum movent saporem.

Occurrunt praeterea casus, in quibus nullus vomitus observatus est, quod vulgo accidit, si omnes ventriculi membranae corii instar induratae sunt, si tanta ventriculi extensio, ut omni contractionis vi careat, si denique ventriculus degeneratus lymphae plasticae exsudatione vicinis partibus concrevit. Sic vomitus quidem non appa-

---

<sup>1)</sup> Berndt l. c. Krappe, dissert. de gastritide chronica. Berlin 1836.

<sup>2)</sup> Petzold l. c. pag. 11. Hufelands Journal. Januar 1815. St. 6. pag. 47.



ret, sed malum in pyloro sedet, neque vero illum reddit angustiores, vel si in ipso cardiaae orificio sedem obtinet, idque ita constringit, ut cibi ac potus in ventriculum aegrius quidem perveniant, minime vero per ingentem cardiaae contractionem ad oesophagum redire possint <sup>1)</sup>).

Tertium symptoma, a permultis scriptoribus commemoratum, est major minorve tumor, qui manu perscrutante, degeneratione membranarum ventriculi jam exorta, in praecordiorum regione <sup>2)</sup>), imo per regionem umbilicalem percipitur. Tumor saepe fixum tenere locum, saepe pressioni fortiori cedere digitisque huc illuc moveri posse dicitur. Alii, ut Krukenberg <sup>3)</sup>), hunc tumorem nunquam sese invenisse contendunt.

Quibus signis missis alia symptomata consensualia sunt notanda. Alvus pertinaciter obstructa, ut post tertium, imo sextum demum diem sedem habeant aegroti. Excrementa plerumque dura, fusca, nigra, quasi combusta apparent; interdum secedunt albae faeces, mucosae, argillaceae, caprinis stercoribus haud dissimiles; subinde

---

<sup>1)</sup> Herbes, diss. de gastritide. Berlin 1831.

<sup>2)</sup> C. Sprengel l. c. Vol. III. pag. 314.

<sup>3)</sup> l. c. T. 2. pag. 263.



excrementa inveniuntur quasi abscissa, ac tubulosa, etiam reccessoria feruntur <sup>1)</sup>). Urinam deprehendimus flammeam, jumentosam, saepe serosam, sedimento albido, mucoso conspicuam, cutem siccam, rigidam, turgorem vitalem minutum. Praeterea systematis uropoëtici, totius chylicationis, praecipue respirationis morbi comites apparent, et aegroti cachecticam prae se ferunt speciem. Facies pallida, lurida, frons rugosa, pallidum lineamentum circa os <sup>2)</sup>). Artuum totiusque corporis gravitas ac languor in dies augetur. Languet quoque animus. Aegroti sunt tristes, morosi, vitam pertaesi, hypochondriaci. Laborant plerumque doloribus capitis in regione frontali, vertigine, sensuum obnebulatione, photopsia, lipothy-mia, somno fruuntur aut nimio aut nullo.

Signum reactionis totius organismi, febris non semper adest, si paulatim gastritis oritur. Si vero sub forma subacuta intrat, febris quoque com-paret, pulsus sunt parvi, suppressi, frequentes, interdum rariores, intermittentes, ob affectionem nervi sympathici.

---

<sup>1)</sup> Krukenberg l. c. T. 2. pag. 257.

<sup>2)</sup> Berndt l. c.

---



## DE MORBI DECURSU ET EXITU.

Gastritis chronica decursu lento insignis est, nam per plures menses, adeo annos perdurare potest. Plerumque vero in sexu virili prius ad exitum pervenit quam in sequiori, propterea quod mulieres constitutione lymphatica plerumque praeditae sunt, ac menses derivationem quandam exercent, et quia viri partim sanitati conservandae ac therapiae praescriptis minus satisfacere solent, partim pluribus injuriis obnoxii sunt.

Sunt qui decursum gastritidis in tria stadia dividant: stadium inflammatorium, stadium indurationis incipientis, stadium indurationis praevalentis <sup>1)</sup>. Haec autem divisio, etiamsi ad prognosin curamque statuendam multum valeat, tamen plane rejicienda nobis videtur, quum induratio non inflammatio, sed potius morbus tantum secundarius inflammationis sit.

Gastritis chronica aut sanitate aut morbis secundariis et morte finitur.

Ventriculus vero sola inflammationis resolutione in integrum restituitur, quae vix aliter nisi per lysin adducitur <sup>2)</sup>. Morbos secundarios re-

---

<sup>1)</sup> Schüller, diss. de gastrit. chronica. Gryphiae 1838.

<sup>2)</sup> Schönlein l. c.



perimus partim indurationem atque incrassationem tunicae mucosae, partim extenuationem, partim emollitionem, quae tanta esse potest, ut pressu mitiore jam tunicae dirumpantur (Andral, Cruveilhier, Billard), partim denique ulcerationem cum perforatione <sup>1)</sup>). Mors variis e causis proficiscitur. Aut scirrhus obitum adducit, quippe febrem hecticam vel phthisin abdominalem exitans, aut haematemesi vita finitur, cujus generis plura apud Abercrombie inveniuntur exempla. Rarior mortis causa est perforatio ac disruptio ex ulceratione et emollitione. Nonnullorum vitae tabes sicca finem imponit <sup>2)</sup>). Alii ascite perimuntur et hydrothorace. Sunt quoque qui sub atroci gastritidis insultu inter vehementissima tormina animam exspirent, aut enteritide ac peritonitide accedente intereant.

#### DIAGNOSIS.

Quum gastritidis chronicae ineuntis, nisi ex inflammatione aucta profecta est, fere nullum observetur signum, quod ad alios quoque morbos

<sup>1)</sup> Bressler, die Krankheiten des Magens und Darmkanals. Berlin 1843.

<sup>2)</sup> Berends l. c. T. 3. pag. 296. Krukenberg l. c. T. II. pag. 263.



referri possit, morbi nostri initium ejusque gradum minorem cum aliis morbis confundi posse, facile patet. Quare aptum videtur, illos status morbosos haud dissimiles accuratius distinguere. In quorum numero imprimis dyspepsia habenda est. Utrumque morbum si recte distinguere velis, duas potissimum res respicere debes, quae quidem sunt tum decursus utriusque morbi aut tardior aut celerior, tum sequelae, quae remedia adhibita excipiunt. Gastritis enim chronica lente incedere ac commorari atque remediis, quae dyspepsiam tollunt, augeri solet. Majores vero gradus cum morbis hisce confundi possunt, sed difficilius.

1) Febres gastricae saepe sensibilitatem regionis epigastricae augment ejusque dolorem excitant. Sed ex causis, ratione formationis, symptomatibus talem statum facile discernes.

2) Cardialgia est neuralgia, intermissione et paroxysmis alternat; febris plerumque nulla, pulsus parvi et contracti, urina spastica; dolores spastici compressione fortiore evanescunt et secundum Berends <sup>1)</sup> scorbiculum cordis non transgrediuntur. Functiones organorum digestionis minus laesas invenimus quam in gastride. Remedia antispastica aegrotis opitulantur.

<sup>1)</sup> l. c. T. 3. pag. 290.



3) Rheumatismus musculorum abdominis dolorem in regione epigastrica ac praecordiis quidem efficit, sed magis exteriorem. Praeterea functiones digestionis plane non alienatae.

4) Peritonitis chronica. Totus venter, estensus, inflatus, adeo dolorosus, ut aegri vix levissimam pressionem ferant. Vomitus est minus constans quam in gastritide ac morbus multo citius decurrit.

5) Mesenteritis chronica. Morbus difficillimus cognitu, in quo symptomatum magnam similitudinem et quidem digestionem semper laesam, dolores umbilicum occupantes, fortiori quovis motu, externa pressione cressentes, decursum non minus tardum invenimus. Accedit quod mesenteritis, teneriori aetati peculiaris, infantes scrophulosa dispositione et cachectica praeditos afficit.

6) Pancreatitis chronica. Plurima et fere omnia symptomata gastritidem chronicam imitantur. Signa vero pancreatitidi propria sunt dolores pone ventriculum, quasi e spina dorsi originem ducentes; salivatio vomitusque salivales, aquosi et viscosi cum diarrhoea salivali alternantes <sup>1)</sup>

7) Omentitis chronica. Quamquam haud dis-

---

<sup>1)</sup> Harless, die Krankheiten des Pancreas. Nürnberg 1812. Hufeland's Journal. J. 54. St. 4. 1822. p. 3—15



similis, tamen a morbo nostro facile discernitur. Certa diagnosis illaesa tantum functione omnium ceterorum abdominis organorum fieri potest.

Alias adhuc formas proferre, longum est, nec necessarium, cum cuique symptomata accurate perlustranti morbi hujus ab aliis differentia eluceat necesse sit.

### AETIOLOGIA.

Inter momenta disponentia universalia, quae ad morbum nostrum conformandum plurimum valent, primum clima est accusandum. Gastritis scilicet chronica in regionibus septentrionalibus imprimis nobis occurrit et maxime in oris maritimis. Deinceps tempestatis ratio est habenda, quod tempus vernale et autumnale constitutione rheumatica maxime excellere videntur, quae homines ad gastritidem subacutam propensos reddit. Adeo endemius occurrit morbus, praecipue his in terris, quae humidis ac paludosis abundant regionibus, e. g. in Hollandia, Frisia. Quod momenta attinet disponentia individualia, homines praecipue ad gastritiden inclinantes, qui constitutione robusta ac musculari, fibra sicca et colore minus tenero atque albo <sup>1)</sup>, neque minus qui debiles sunt, qui

<sup>1)</sup> Broussais l. c.



cachexiis laborant ac rheumatismo facile afficiuntur. Licet quavis aetate, cum teneriore tum pro-  
 vectiore morbum oriri sciamus, tamen homines  
 natu majores, praesertim mulieres, circa annum  
 quadragesimum usque ad sexagesimum gastritide  
 corripri compertum habemus. Homines atrabilario  
 habitu praediti, et plethora abdominali, haemorr-  
 hoidibus et catameniis anomalis laborantes, haud  
 raro morbo isto subiguntur, neque minus, apud  
 quos arthritis imperfecta atque anomala in con-  
 spectum venit. Praeterea eos, qui gastritide jam  
 semel laboraverunt, haud raro, exiguis causis al-  
 latis, propensos esse ad recidiva, non praetereun-  
 dum esse mihi videtur. Deinceps nimius potuum  
 spirituosorum, fermentantium, relaxantium usus,  
 tum crudorum abusus ciborum sunt accusandi. De-  
 nique adnotandum est, continuam ventriculi com-  
 pressionem, quae quibusdam opificibus communis  
 est, e. g. sutoribus, sartoribus, textoribus, gastri-  
 tidi formandae maxime favere.

Causarum occasionalium numerus tantus est,  
 ut non nisi praecipuas hoc loco referre nobis li-  
 ceat. Interdum gastritis chronica ex acuta pro-  
 ficiscitur non plane resoluta. Huc etiam referen-  
 dae sunt viscerum vicinorum inflammationes, status  
 gastricus congestivus; porro febres constitutione



aestiva provocatae, saepissime morbo nostro an-  
sam praebent <sup>1)</sup>). Frequentissima causa refrige-  
ratio, sive totius corporis, sive singularum partium,  
praecipue pedum transpirationem supprimit, vel in  
ipsum ventriculum agit. Quo accedunt cibi irri-  
tantes et calefacientes, difficiles digesta, praesertim  
rapide devorati, prae omnibus vero abusus spiri-  
tuosorum vel nimio calore vel materia pyrica no-  
centium; remedia acida, et mineralia et vegetabi-  
lia, tum acria, imprimis emetica et purgantia dra-  
stica; nec minus venena acria. Animi affectus  
deprimentes, praecipue ira ac moeror diutinus,  
non levis sunt momenti. Dein catameniorum et  
haemorrhoidum suppressio huc est referenda. Etiam  
metastases arthriticae ac rheumaticae a nonnullis  
auctoribus inter causas occasionales habentur. Sa-  
tis denique est notum, gastritidem chronicam saepe  
exanthematum repressionem ulcerumque exsicca-  
tionem sequi. Stollio auctore nonnulla exanthe-  
mata epithelium oris, oesophagi, adeo ventriculi  
infestare solent, id quod per vomitum, diarrhoeas  
doloresque cardialgicos manifestatur. Secundum  
Broussais et Bayle <sup>2)</sup>) saepe connexus quidam in-

---

<sup>1)</sup> Krukenberg l. c. T. 2. — Sprengel l. c. Vol. VI. p. 314.  
Broussais, Examen des doctrines medicales etc. Vol. III,  
Paris 1821. — Berends l. c. T. 3. pag. 326.

<sup>2)</sup> Bressler l. c.



ter gastritidem chronicam et nonnullas morborum psychicorum formas, praecipue melancholiam animadverti potest.

### PROGNOSIS.

Ventriculus quum focus digestionis sit, a cuius activitate normali totius corporis salus profiscitur, prognosis in universum bona esse vix potest. Malum sola inflammationis resolutione tollitur. Ceteri exitus plerumque mortem ad ducunt.

In prognosi vero speciali statuenda res aliter se habet. Eterim quamdiu mera inflammatio praevalet, praedictio haud mala mihi videtur, quod ars medica ad istam mitigandam multum valet, ita ut remediis aptis tempestive adhibitis cedere soleat. At quo diutius morbus persistit, quo majora cepit incrementa, quo magis ventriculus jam destructus est, eo peior prognosis. Ventriculus degeneratus in integrum nunquam restituitur. Ubi morbus sedem fixit in cardia, praesagium multo pejus, quam si alias regiones ventriculi praesertim pylorum occupavit. Sed etiam ex causa gastritidis pendet augurium. Nam si cum dyscrasia aliqua, sicuti scrophulosa, rheumatica, arthritica vel cum haemorrhoidum et menstruationis suppressione nexum alit, gastritis pertinax est. Tum qui aegroti res



obnoxias, quas supra descripsimus vitant, praecipue diaeta apta et moderata utuntur, meliore prognosi laetantur. Inflammatione non resoluta, si morbi secundarii coërceri non possunt, aegroti marasmo, tabe, hydrope, enteritide, peritonitide, haematemesi, carcinomate pereunt.

### THERAPIA.

Primum medelae objectum causas removendas complectitur. Metastases igitur rheumaticas, arthriticas, haemorrhoidum mensiumque suppressionem, sudores pedum percussos, ulcera intempestive sanata ita respiciamus necesse est, ut aut secretiones consuetas restauremus aut alias in earum locum substituamus. Omnino oportet nos ventriculi irritationem, quantum fieri potest mitigare; igitur primum diaeta recte ac moderate institui debet. Alimenta sint blanda, velut lac aut jusculum carnis, sed parvis dosibus saepius repetendis. Alii, ut Wolff, aquam Selteranam cum lacte commendant; alii, ut Delpech, aequales partes aquae et lactis; alii, ut Most, magnam laudant mellis copiam <sup>1)</sup>. Contra omnes res spirituosas acres atque

---

<sup>1)</sup> Krappe de gastritide chronica.



aromaticas, calefacientes evitare oportet. Ceteroquin opus est, ut aegroti animi pathemata depri-  
mentia et omne refrigerium vitent.

Jam vero ad indicationem morbi pervenimus. Inflammatio quum sit chronica, vix unquam venae-  
sectio instituenda erit. Tanto major est uti-  
litas hirudinum ad epigastrium aut ad anum et  
genitalia virilia positarum saepiusque repetitarum.  
Similem successum cucurbitularum applicatio prae-  
bet. His sunt conjungenda remedia per antago-  
nismum derivantia, balnea tepida, pediluvia, mo-  
xae, fonticuli, vesicantia, setacea, sinapismi, inun-  
ctiones irritantes, potissimum e tartaro stibiato com-  
positae. Stokes unciam unam unguenti tartari sti-  
biati cum drachma ungt. merc. conjungit <sup>1)</sup>).

Inter remedia interna praecipue numeranda  
sunt haecce. Primum irritationem ventriculi mi-  
ligantia ac leniter refrigerantia, quare saturationem  
cali carbonici, pulverem aërophorum bono dabis  
cum successu. Salia media, ut kali tartaricum,  
natrum sulphuricum, magnesia sulphurica, ad ob-  
structionem alvi tollendam minus apta nobis vi-  
dentur, sed clysmata aperientia magnum praebent  
commodum. Praestantissimam ulititatem habere

---

<sup>1)</sup> Bressler l. c.



videtur curationis methodus, qua Berndt uti solet. Aegrotus enim lacte tantum nutritur, id autem non nisi parvis dosibus, saepius per diem porrigitur; simul etiam magnesia usta ad aciditatem absorbendam datur, ita ut aegroti ter per diem cochlear parvum sumant. Quae tamen curandi ratio ut bonum ac sufficientem praebeat effectum, per longum tempus adhibenda est <sup>1)</sup>).

Ubi gastritis chronica saepius recidiva fuit, neglectaque ventriculi membranas plus minusve degeneravit et induravit: antiphlogistica remediis stomachi irritationem mitigantibus, partes induratas resolventibus simulque derivantibus adjuvari oportet. Huc pertinent mercurialia, praecipue calomelas, antimonialia, flores zinci, magisterium bismuthi cum ext. hyoscyami, cicutae, belladonnae, opio.

Berndt in hoc stadio formulam laudat, quam Haler praescripsit:

℞. Saponis medicati drachm. ij  
Calomelanos drachm. β  
Opium puri scrupl. β.  
M. f. pilulae pond. gr. ij  
S. Mane et vesperi tres pilulae sumantur.

---

<sup>1)</sup> l. c.



Formula, qua Krukenberg uti solet, haec est:

℞. Magist. bismuthi gr. ij

Ammon. carb. gr. j

Opii puri gr.  $\frac{1}{4}$

Elaeosacch. cajeput. gr. xij.

M. f. pulv. Disp. tal. dos. No. XII.

D. in vitro albo bene clauso.

S. Ternis horis hauriatur pulvis.

Haec vero formula magis ad cardialgiam quam ad gestritidem chronicam pertinere mihi videtur.

Wolff laudat hydrargyrum zooticum <sup>1)</sup>, quod hac formula praescripsit:

℞. Hydrargyr. zootici gr.  $\beta$

Pulv. gumm. mimos. gr. iij

Sacch. albi gr. vj.

M. f. pulv. Disp. tal. dos. No. IV.

D. ad chartam ceratam.

S. In dies usurpandae.

Ceterum Johnson argentum nitricum, Stokes et Bardsley morphium aceticum, Abercrombie aquam calcariam et solutionem Fowleri in stadio morbi proveciore commendant. Quae praecipue, ubi gastritis ex febribus intermittentibus, arthritide, rheumatismo neglecto, ex acrimonia psorica

---

<sup>1)</sup> Krappe l. c.



atque herpetica orta erat, cum fructu guttis tribus quatuorve bis per diem porrecta est.

Postquam nobis contigit, ut inflammationem amoveremus, reconvalescentiam ad perfectam sanationem reducere restat. Hoc tempore maximam opem ferunt succi recens expressi, ext. graminis, taraxaci, fumariae, saponariae, serum lactis dulce, aqua selterāna commixtum, aqua calcaria, remedia leviter adstringentia et amara.

Quamquam gastritide neglecta nataque ventriculi degeneratione, quin sortem aegrotorum miseram sublevemus et certe vitam prorogemus, dubitare non licet; tamen omnia fere remedia in tali casu spem nostram plane eludant. Sed singulos morbi nostri exitus statusque secundarios ac curationem uberius describere et longum est et a proposito nostro abhorret.

---



## V I T A.

---

**E**go *Franciscus Carolus Otto Ellendorf* natus sum Widenbrugi, Guestphaliae oppido, a. h. s. X. die XVII. m. Martii patre *Christophoro*, matre *Elisabetha* e gente *Bartels*, quos Deo favente adhuc vivos pio gratoque animo veneror. Fidei catholicae addictus sum. Primis literarum elementis in progymnasio, quod tunc Widenbrugi florebat, imbutus, parentium votis obediens, mercatoris muneri incubui.

Annis quinque interjectis, exercitum a Friderico Guillelmo III., Borusorum Rege, ad Belgas observandos trans Rhenum missum secutus, per annos sex militum turmae tormentariae dux praeeram. Anno tricesimo octavo, armis relictis, amore studii medicinae ardens flagransque, primum per menses sex scholis, quae Monasterii de chirurgia et anatomia habentur, assiduus fui, disesrentesque audiavi Cl. *Tourtual* de syndesmologia et osteologia, Cl. *Riefenstahl* de splanchnologia; Cl. *Roling* de physice et astrologia; Cl. *Becks* de botanice; Cl. *Schmedding* de chemia. Tum Berolinum me contuli ibique in institutum chirurgicum universitatis Fridericae Guillelmae Berolinensis receptus sum.

Per annum unum praelectionibus interfui: Ill. *Mueller* de anatomia generali et speciali de anatomia organorum sensuum; Ill. *Hecker* de medicinae encyclopaedia; Ill. *Weiss* de mineralogia.

Maturitatis testimonio munitus, verno tempore anni h. s. quadragesimi aliam Gryphiae musarum sedem petii,



ubi ab Ill. *Finelius*, t. t. Rectore Magnifico, civibus academicis adscriptus, hisce scholis interfui: Ill. *Hünefeld* de chemia; Ill. *Tillberg* de physica; Ill. *Hornschuch* de botanice et zoologia; Ill. *Erichson* de logice; Ill. *Schulze* de physiologia et de arte cadavera dissecandi, Ill. *Seifert* de pathologia generali, de materia medica, de semiotica, de arte fascias chirurgicas alligandi, de fracturis luxationibusque; Ill. *Berndt* de pathologia et therapia speciali; Cl. *Kneip* de chirurgia generali et speciali, qui et dux mihi fuit in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Anni spatio intermisso, almam musarum sedem Berolinensem repetii, ubi a Rectore Magnifico Ill. *Dieterici* inter cives academicos relatus nomenque apud Decanum facultatis medicae Spectatissimum Ill. *Juengken* professus sum. In clinico medico dux mihi fuit Cl. *Wolff* et Cl. *Romberg*, in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. *Juengken*. De morborum cordis pulmonumque diagnosticæ Cl. *Romberg*, de medicina forensi Ill. *Wagner*, de morbis auditus Cl. *Dann* sicut de arte obstetrica Exp. *Schoeller* disserentem audiui.

Quibus viris omnibus maxime de me meritis, ea qua par est pietate gratias ago quam maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, et examine rigoroso rite peractis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi medicinae et chirurgiae honores in me conferantur.

---



# THESES.

---

## I.

*Singula graviditatis signa certa nulla sunt.*

## II.

*Mortis certum signum nullum nisi putredo.*

## III.

*Phlebotomia semper est praeferenda arteriotomiae.*

## IV.

*Icterus non est morbus, sed morbi symptoma.*

## V.

*Vermes intestinales spontanea procreantur generatione.*

---